



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1143. Usque Ad Annum 1176

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1762

VD18 90118014

§. 63. Alanus Episcopus Antisiodorensis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66377](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66377)

tuti sunt quatuor, Armachanus, Du-
 bliensis, Casseliensis, Toamensis, his-
 que sui Suffraganei sunt designati. Ita-
 que Metropolitana Dignitate in Hibernia
 primi fulserunt Gelasius, alio nomine
Giolla, Mac-liab, Archiepiscopus Ar-
 machanus, Hiberniæ Primas, S. Mala-
 chiæ Successor. Gregorius, seu *Grevi*,
 Archiepiscopus Dubliniensis. Donatus,
 seu *Domaldo* Lonarganus, Archiepi-
 scopus Casseliensis, & Edanus, seu *Aeda*
oboffin, Archiepiscopus Toamensis.

Ex his exemplis dispicimus, qua ra-
 tione Hiberni nomina sua Latini sermo-
 nis genio accommodaverint, ut minus
 barbare sonarent. Paperonius Legatus
 memoratis Archiepiscopis Pallia quatuor,
 Roma allata, distribuit. Hibernos quo-
 que Matrimonii legibus, quibus non
 erant assueti, subjecit, & multos ab-
 usus sustulit. Anno sequente millesimo
 centesimo quinquagesimo tertio, post
 Festa Paschalia, ex Hibernia solvens,
 per Scotiam, qua venerat, domum re-
 meavit.

§. LXIII.

Alanus Episcopus Antissiodorensis.

In Francia Sedes Antissiodorensis quin-
 decim circiter mensibus vacavit, post
 obitum Hugonis, quem S. Bernardus
 S. Episcopum appellat. Is olim Monachus
 Cister-

Sæcul. XII.
 A. C. 1152.

Sup. Lib.
 LXVIII.

Sæcul. XII. Cisterciensis, & primus Abbas Pontinia-
 A. C. 1152. centis, decima Octobris anno millesimo
 centesimo quinquagesimo primo factis
 functus fuerat, cumque de more ad no-
 vam Electionem procedere omnes para-
 rent, supervenit quidam juvenis, & ap-
 pellationem interponit, prohibens, ne
 eligentes ultra progredierentur, donec
 ipse Romam petiisset, & inde rediisset.
 At cernens appellationem suam sperni,
 triduo post electionem ab aliis peractam,
 congregatis amicis & clientibus suis
 alium eligi curavit. Re ad Pontificem
 delata, tertium eligi iussit, & futuræ
 electioni viros tres, quos inter S. Ber-
 nardus designatus erat, præfecit. Et
 S. Bernardus quidem alteri eorum con-
 sentiebat, quia vero reclamabat tertius,
 causam secundo Papæ rescripsit, qui ele-
 ctum Alanum, natione Flandrum, con-
 firmavit. Is a prima ætate in Ecclesia
 Insulana * educatus, & Monachum Clara-
 valle sub disciplina S. Bernardi professus,
 postea primus Abbas Ripatorii in Diocesi
 Trecensi, hoc Monasterium annis duo-
 decim rexit.

* L'isle

Fuere, qui Ludovico Regi suggere-
 rent, cum prima electio, quam ipse
 fieri concessisset, effectu caruisset, ad
 aliam procedere, sine novo Regis con-
 sensu

fensu, non licuisse. At S. Bernardus op-
 posuit, Regium consensum primo datum
 sufficere, nec esse necessarium, toties
 ad Regem recurrere, quoties eligentes
 Clerici dissensissent.

Sæcul XII.

A. C. 1152.

ep. 282.

Alanus, postquam Ecclesiæ Antissio-
 dorensi annis tredecim præfuisset, illa
 relicta, consentiente Papa, Claramval-
 lem rediit, reliquum vitæ in pio otio
 transacturus.

§. LXIV.

*Henricus Archiepiscopus Moguntinus
 deponitur.*

Eugenius Papa duos in Germaniam Le-
 gatos miserat, Bernardum Presbyte-
 rum Cardinalem tituli S. Clementis, antea
 Priorem Canonorum Regularium S. Jo-
 annis in Laterano, & Gregorium Dia-
 conum Cardinalem Tituli S. Angeli, discus-
 suros causam Henrici Archiepiscopi Mo-
 guntini, qui dudum accusatus, quod
 Bona Ecclesiæ suæ dissiparet, sæpius moni-
 tus, errata non emendaverat. Legati
 Bambergæ versabantur cum Friderico
 Rege, ubi Festum Paschæ, quod hoc
 anno millesimo centesimo quinquagesimo
 tertio in diem decimam nonam Aprilis
 incidebat, celebravit. S. Bernardus vero,
 cum

Otto. I. Fris.

c. 9.